



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**L. Coelii Lactantii Firmiani, diuinarum institutionum,
aduersus gentes, de falsa religione liber primus**

Lactantius, Lucius Caecilius Firmianus

[Köln], [1518]

VD16 ZV 9338

Quod prouidentia sit in rebus humanis. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71332)

anfractus, planum deserunt, ut per præcipitium labantur, lucem relinquunt, ut in tenebris cæci, ac debiles iaceant. His consulendum est, ne contra se pugnent, uelintq; se tãdem ab iueteratis erroribus liberari, quod utiq; facient, si quare sint nati aliquñ peruiderint. Hæc enim prauitatis est causa, ignoratio sui, quam si quis cognita ueritate discussserit, sciet quo referenda, & quemadmodum sibi uita degenda sit. Cuius scientiæ breuiter summam circumscribo, ut neq; religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapientia.

¶ Quod prouidentia sit in rebus humanis. Cap. II.



Vscepto igitur illustrandæ ueritatis officio, non putauî adeo necessarium ab illa quæstione principium sumere, quæ uidetur prima esse, natura sit ne prouidētia, quæ rebus omnibus consulat, an fortuitu uel facta sint omnia, uel regantur. Cuius sententiæ author est Democritus, confirmator Epicurus, sed & antea Protagoras, qui Deos in dubium uocauit, & postea Diagoras, qui exclusit, & alij non nulli, qui non putauerunt Deos esse, qd aliud effecerunt, nisi ut nulla esse prouidentia putaretur: quos tñ ceteri philosophi, ac maxime Stoici acerrime retuderunt, dicentes nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse, nec cōstare, nisi summa ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quãuis academicæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia gubernatrice rerum, & multa sæpe disseruit stoicorū ar-

A iij

DE FALSA RELI.

gumenta confirmans, & noua ipse afferens plurima. q̄d facit, tum in omnibus suæ philosophiæ libris, tum maxime in ijs, qui sunt de natura deorum. Nec difficile sane fuit paucorum hominū prauæ sentientium redarguere mendacia, testimonio philosophorum, atq; gētium in hac una re non dissidentium. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tamen nesciat cuius dei prouidentia regat hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliq̄ sit instructum. Et nobis utiq; facillimū est exequi hanc partem quālibet copiose, Sed quia multum inter philosophos agitata res est & prouidentiam tollētibus satis responsum uidetur ab hominibus argutis, & eloquentibus, & de solertia diuinæ prouidentiae per totum hoc opus, quod suscepimus, sparsim dicere nos necesse est, omittamus hanc in præsentī quæstionem, quæ cum cæteris sic coheret, ut nihil a nobis differri posse uideatur, ut non simul de prouidentia differatur.

S An potestate unius dei mundus regatur, an multorum. Cap. III.

S It igitur nostri operis exordium quæstio illa cōsequens ac secūda. Vtrum potestate unius dei mundus regatur, an multorū. Nemo est q̄dem q̄ sapiat, rōnemq; secū putet, q̄ nō unū Deū eē itelligat, q̄ & cōdiderit oīa, & eadē, q̄ cōdidit, & tute moderet. Quid